UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1618. usque ad annum 1620

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118847

§. 11. Gabor, seu Gabriel Bethlemus Transylvaniæ Princeps Bohemis rebellibus opem pollicitus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-67326

Visual Library

Sæc. XVII. „Si tam diu quieverit Gallus, haud
A. C. 1619. „dubie vicimus. Jam enim Principes, „urbesque vobis fœdere unitas, ut ſe „parent, excitavimus. Ponemus in „medio Franciæ, ſi poſſumus, Bullio„nium, aut ejus filium; ſi non poſſu„mus, quemvis, qui ſe nobis junxerit.

„Huc autem nunc deſino, & hæc „monita e media arte politica deprom„pta, & alta mente recondas, inque „uſum, & actiones tuas feliciter trans„feras, velim. Reliqua pro re nata, „ubi tempus, cauſaque poſcet, lubens „uti poſſum, uti debeo, fideliter com„municabo.„

Puduit ſummopere ſeditioſos Sectarios, intercepta hac inſtructione ſimul impiiſſima juxta ac ſeditioſa eorum conſilia fuiſſe detecta, quocirca hanc mere in Palatini injuriam fuiſſe confictam ſparſere, hancque in rem libellum ediderunt, cui titulus: *Elenchus libelli famoſi* &c. Attamen, quæ tum & poſtea in Germania, Hungaria, Galliis, & alibi ab eis geſta fuere, nimis luculenter datæ huic inſtructioni conſona ſunt.

§. XI.

Gabor ſeu Gabriel Bethlemus Tranſylvaniæ Princeps Bohemis rebellibus opem pollicitus.

Prius-

Sæc. XVII.
A. C. 1619.

Priusquam Bethlemus Gabor Tranſylvaniæ Princeps mox recitatas literas ad Vezirium ſcripſerat, jamjam Bohemi eundem de rerum ſuarum ſtatu certiores reddidere, ejusque opem adverſus Regem ſuum implorarunt. Ipſe vero eisdem reſcripſit, quod duo ſibi „attentanda propoſuerit, & quidem „primo, ut favorem voluntatemque Ot„tomanici Imperatoris pro ineundo fœ„dere ſibi redderet devinctiſſimum; ſe„cundo, ut Ordinum Bohemiæ ſtatum, „mentem, atque affectum haberet ex„ploratiſſimum; de hoc autem ex ipſo„rum literis die decima quarta Auguſti „acceptis certior factus, pariter die de„cima ſeptima ejusdem Menſis Turca„rum favorem & conſenſum ſpe ſua „ampliorem acceperit, proin, quam„vis eximia domus Auſtriacæ, Romani „Pontificis, aliorumque auctoritas ac „potentia aliter ſuaderent, maximis „tamen conatibus Menſe ſequenti ad „fines Moraviæ contendere decreverit, „interea vero Bohemos monitos velit, „ne cum hoſtibus ullam belli aleam „periclitari, ſed ſuum adventum præ„ſtolari vellent. Acceptis hiſce literis Bohemi viciſſim die nona Septembris Bethlemum de fædere cum Sileſiis & Auſtriacis inito, necnon de Ferdinandi abdicatione, & Friderici electione cer-

Priorato Hiſt. di Ferd. III. part. 1. l. 1. Nicolaus Bellus l. 3. Ortel. contin. pag. 64. Merc. Gallob. t. 13. l. 1.

tiorem

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sæc. XVII. A. C. 1619.

tiorem reddebant, & rebellium more acres in Ferdinandum tanquam intruſum, perjurum, iniquum ac crudelem Principem calumnias ſpargebant, quarum tamen falſitatem Ferdinandus Imperator univerſo orbi manifeſtam reddidit.

§. XII.

Bethlemi Gaboris irruptio in Hungariam.

Khevenhill. tom. I. pag. 686. & t. 9. pag. 629. Barre hiſt. d'Allem. t. 4. Caraf. com. reſt. Germ. Brachel. Hiſt. l. I.

Interea Bucquoius Comes occupata Pilſecca, & Vechinenſi arce interceptа compererat, ſuperioris Hungariæ Oratores Pragæ nuntiatum adveniſſe, quod Bethlemus cum quadraginta ſuorum millibus in ſuperiorem Hungariam moveret, hujusque exercitus dimidiam partem ad Moraviæ fines Bohemis ſubmiſſurus, cum reliquo vero agmine Hungariam inundaturus eſſet: Igitur Bucquoius haud cunctandum ratus, promotis caſtris Bohemos ad pugnam provocabat, quam tamen illi, utpote viribus & cauſſæ ſuæ diffiſi declinarunt, Gaboris ſuppetias præſtolaturi. Hic enim, quamvis doloſe ſparſiſſet, propoſitum decretumque ſibi eſſe, Bohemos ad officium reducere, re tamen ipſa eos ſuffulturus in Hungariam ſuperiorem irrupit, & Magnates inopino ejus adventu territos ſibi concilians, cunctos ſibi re-

luctan-